

7. Quoniam iam per pacta subiectionis in causis grauibus et maximi momenti permissa fuit appellatio ordini equestri ad conuentum prouincialem, ac postea, sublato conuentu, formula regiminis appellationes a iudiciis aulicis omnes indistincte in causis summae sexcentorum florenorum, et honorem concernentibus, ad Nos deferendas statuit. Proinde Nos alloquendo paragraphum decimum formulae regiminis, ut paritas iuslitiae seruetur, appellationem a iudiciis aulicis Curlandiae ad thronum nostrum in casibus lege praelcriptis, liberam esse volumus, et quatenus supremi consiliarii Illustrissimi Ducis, in scripto opinionem suam nobis et consiliariis nostris transmittere valeant, an causa appellata debat ad appellationem admitti? facultatem tribuimus; salvo nostro et consiliariorum nostrorum arbitrio, ac potestate, decidendi de admissione eiusmodi appellationis; seruatis quoad nonadmissibilitatem appellationis et coercionem temere appellantium, paragraphis decimo septimo, et vigesimo secundo formulae regiminis, in vim quarum legum, poenam eidem formulae regiminis conformem in contrauerientes sancimus. Integrum quoque erit Illustrissimo Duci, ciuitatibus suis, vii vel pluribus, et vnicuique suorum subditorum ciuici status, si quis coram iudiciis in ducatibus grauatus, et circa iura sua laesum se senserit, appellationem ad iudicia relationum concedere, quam equidem recipiendam esse censemus.

8. Cum denique constet per paragraphum decimum nonum formulae regiminis, nobilibus sine vii, siue pluribus, causam ex actoratu suo contra Duce habentibus, forum in iudicio relationum propriatum esse constitutum non autem contra, idcirco, si aliquae cause ex actoratu ipsiusmet Ducis, sub nomine fiscalis ducalis promouendae, contra nobiles acciderint, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, eadem in foro proprio nobilium, iuxta formulam regiminis promoueantur ac decidantur, appellatione integra parti grauatau feuentienti, manente.

9. Quoniam vero etiam ad aures nostras peruenit, multos huc usque circa iurisdictionem patrimonialem nobilium, venationem et iura littoris irrepsisse abusus, quibus reformatis cause cognitione opus esse non videtur, hinc proprio motu et pro supra Nostra authoritate statuimus, quatenus in posterum liberi homines, siue indigenae sint, siue extra-nei, in villis nobilium, vel dominalibus habitantes, forum habeant coram capitaneo vel capitaneo maiori eiusdem districtus.

Ne vero remoram patiatur iusitia, praesertim criminalis pro securitate publica et di-judicatione causarum et delictorum, iubemus, quatenus, a Celsissimo Duce in omnibus capitaneatibus asseruationi et custodiae delipientium, aptae, et conuenientes carceres extiruantur, et a capitaneis ad instantiam actoris omnes eiusmodi cause criminales etiam extra cadentias ordinarias disiudicentur.

10. Pariter etiam nemo in posterum immane illud ius capiendi bona naufragorum exercere praesumat, sed si quis periclitantibus opem tulerit, aequa laboris mercede contentus esto.

11. Non minus etiam, neque Illustrissimus Dux per suos officiales, neque nobiles et reliqui, quibus venatio competit, venationem in alienis fundis, sine permissione proprietariorum exercebunt, saluis quidem legibus circa conseruationem ferarum sanctis, utque hae constitutiones iurisdictionem patrimonialem, bona naufragorum et venationem respicientes, in districtu Piltinensi, pariter ac in Ducatu Curlandiae, obseruentur, volumus.

12. Quod atinet petitum Illustrissimi Ducis intuitu iurium et praetensionum domus Ducalis Kettleriana, quae per conventionem Gedanensem ipsi cesserant, Eundem circa eadem iura et praetensiones in vim praefatae conventionis et inuestiturae conseruamus.

13. Quod vero ciuitates Curlandiae in specie attinet, haec nostra perpetuaque est voluntas, ut iisdem non solum priuilegia, libertates immunitates, et cuiuscunque nominis iura, cuique ciuitati, partim ante subiectionem a magistris ordinis, partim postero tempore, a regibus et ducibus speciatim largita, sed etiam in genere omnia, quae circa subiectionem Liuoniae inter caeteros status et omnibus totius Liuoniae ciuitatibus statuique ciuico concessa sunt, vigore huius in perpetuum sarta, et contra quoscunque obtrectatores tecta maneant. Omnia equidem, quae hucusque in praetendum ciuitatum statusque ciuici acta, et in desuetudinem detrusa sunt, irrita esse iubemus, ciuitatesque in pristinum usum iurium ipsis competentium, hisce in integrum restituimus, et ne in posterum in conuentibus publi-